

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538919

LXXXVIII. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Incontinentia Urinae Ex Partu,
Globulis Ligneis Curanda.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

LXXXVIII.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
INCONTINENTIA URINÆ
EX PARTU, GLOBULIS LIGNEIS
CURANDA.

Quam Præside

SIM. PAULO HILSCHERO.

Tuebatur

JOH. DAN. MITTELHÆUSER

THUSDORFF. THURING.

Jenæ 4 Julii anno 1716.

Ffff 3



Faint bleed-through text from the reverse side of the page, including the word "Dissertatio".

LXXVIIII

DISSERTATIO

MEDICINAE CHIRURGICAE

DE

INCONTINENTIA URINAE

EX PARTU GEORGIIS LIGNERIS

DE CURANDA

Quam Praefata

SIM. PAULO HILSCHERO.

Tractatus

JOH. DAN. MITTELHÄUSER

THESODORAE TURKING

Jens + Joh. anno 1716.

FIII 1



J U V A J E H O V A !

Historia.

De V. Septembris Ann: MDCCXII. fœmina quædam rustica, quinquaginta & unum annum nata, D. D. Præsidi exposuit, se decem circiter ab hinc elapsis annis, post exantlatos per trium dierum spatium acerbissimos partus dolores, filium tandem mortuum enixam esse, cum infelici isthoc simul eventu, ut tribus a puerperio elapsis diebus urina invitæ stillaverit. Spurcam hanc excretionem ut supprimeret, suasu cujusdam mulieris globum, e stupa, linteis, filisque confectum, ac cera obductum, uteri vaginæ intravit, qui etiam invitum liquoris obsceni profluvium ad decem fere annos felicissime cohibuit. Cum vero intra decennium hoc dictum globulum nunquam vagina exemerit, ac à fordibus repurgarit, ab omni latere eidem adhærentia tartarea, & mensium viscido-mucida excrementa molem ipsius mirum quantum auxere, quare idem extrorsum & vulvam versus magis, seu spatium amplius, descendit. Dum itaque globum hunc in locum pristinum superiorem reponere omni nisu allaboravit rustica, frustum quoddam adhærentis tartaræ materiæ abscellit, unde inæqualitas, in parte globi inferiori enata, parietem intergerinum, inter uteri vaginam & intestinum rectum, sensim attenuavit, tandemque penitus dilaceravit, ut dictus globus, mole insignis, per factum foramen magnam partem descenderit in intestinum rectum, hujusque canalem occluserit: quo facto feces alvinæ viam ordinariam deserentes per vulvam exercebantur, & pristina urinæ incontinentia repetebat, retinaculo debito remoto. Præter dicta incommoda conquesta etiam est, se propter dolorum tormenta nec sedere, nec cubare commode posse, quare anxia consilium & auxilium expetiit, cum obstetricis conatus in eximendo globo plane frustranei fuerint.

Resolutio.

§. I.

Affectus ægræ nostræ complicatus est ex duobus symptomatibus, sc. incontinentia urinæ & excretionem fecum alvinarum per genitalia; totidemque morbis stricte dictis, nempe ruptura vaginæ uteri, & intestini recti, hujusque obstructione, uti id ipsum distinctis verbis recensita historia docet.

§. II.



§. I I.

Singulos hos affectus investigaturo primo loco se sistit incontinentia urinæ. Hæc in nostra ægra considerata est symptomâ actionis læsæ vesicæ, qua ipsi præter voluntatis consensum die nocteque urina profluit, & genitalia inundat, a soluta unitate sphincteris in partu facta dependens.

§. I I I.

Vesica viscus illud est, cui tædiosa urinæ incontinentia, tanquam subiecto, inhæret. Uter hic microcosmicus in statu naturali collectioni urinæ ex renibus venientis, hujusque asservationi & excretioni præest: quem in finem sapientissimus conditor ipsi duplicem prospexit muscolum, quorum primus latus, alter circularis s. sphincter dicitur. Latus, qui etiam tunicæ carnes s. musculosæ nomine apud autores venit, in assignandis fibrarum ordinibus anatomicis multum negotii creavit. Nam alii longitudinales & irregulares agnoscunt: uti *Verb. Anat. C. H. p. m. 155.* alii rectas, circulares & transversales se vidisse scribunt ut *Beddevoles Essais d'Anatomie Discours. XX. p. 184.* allegante eundem *C. Pauli in Not. ad Hornii Microcosm. p. 123.* imo insignis hoc tempore Physiologus Celeberrimus *Bobnius* præter longitudinales omnes fictas esse credit, *Circ. Anat. Phys. Prog. XIV. p. m. 224.* In hoc cum anceps hærerem, *Dn. D. Præses* vesicam humanam flatu distentam mihi demonstravit, & certus factus sum, vera esse quæ *Magnificus noster Slevogtius* scribit in *Disp. de Incont. Urinæ §. 12. p. 9.* sc. præter recta incedentium fasciculos etiam oblique & transversim excurrentes occurrere. Sphincteris fibræ orificium vesicæ circulariter ambire dicuntur a *Welschig Tab. Anat. XXIV. Nr. 19.* oblique vero a *Verbeyenol. c. p. 157.* & Celeberrimo *Bergero Physiol. Med. C. XII. p. 192.* Hæ quales quales etiam sint, orificium vesicæ constringendo adeo clausum tenent, ut ne guttula quidem excidat, donec a contractione tunicæ musculosæ, (quam tam urinæ moles, quam mentis imperium efficit) superatus sphincter reludatur, urinamque dimittat.

§. I V.

Sic est vesica in pelvi, regione infimi ventris, ab ossibus innomitatis, sacro & coccygis efformata, ita quidem, ut anterius sphincter cum sua propagine, urethra, commissuræ ossium pubis, mediante membrana peritonæi, alligetur: inferius vaginam uteri, usque in macrocosmum hiet, comitetur; imo in fæminis fibræ circulares meatus urinarii latiori ductu ad vaginæ latera descendant *Welsch. l. c. Tab. LII.* Per hos aliosque fibroso-membranaceos nexus duo hæc excernicula adeo firmiter concresecunt, ut
non

non nisi cultri anatomici acie possint separari. Vagina uteri, qua os coccygis spectat, sphincteris ani fibras in se recipit, & cum intestino recto, mediante muscolosa substantia, adeo firmiter & intricate connascitur, ut vaginæ substantiam ab intestino recto exacte discernere sit difficillimum. Desuper integra harum partium compages ossibus circumjectis affigitur. Videantur anatomici, in specie *Verb. l. c. Tract. II. c. 10. p. 82. § 83. C. XXVI. p. 193.* Deinde & hoc monendum videtur, quod urethra hujus sexus vix duos digitos longa, latior tamen, faciliusque expansionis sit quam in maribus, consentiente eodem autore *Tr. II. c. XVIII. p. 157.* atque quod sphincter vesicæ orificio uteri interno fere superponatur, quamvis orificium vesicæ nonnihil antrorsum sit exporrectum.

§. V.

§o. Tertio allegatus agendi vesicæ modus actionibus mixtis, ut vocantur, accensendus est. Per has autem apud medicos ejusmodi intelliguntur actiones partium, quæ imperio mentis retardari quidem in tantum, & suspendi, imo accelerari, non vero supprimi aut negligi in totum possunt. Cum itaque actiones animales a nervis e cerebro procedentibus; vitales vero & naturales ab illis, qui cerebellum & medullam spinalem egrediuntur, dirigi credantur, provida ipsi natura duplicem nervorum sobolem iniecit, quarum una ex pari vago (quod secundum *Vieussenium in Neurograph. univers. p. 347.* partim e tractibus albis e media ovalis centri regione ducitur, partim e processibus, a cerebello ad spinalem medullam porrectis, prodit) derivatur; altera à medulla ossis sacri matulam hanc microcosmicam intrat. Ita quamvis stimulum urinæ exitum quærentis sentiamus, obstante tamen mentis voluntate, ad nonnullas etiam horas emissionem præcludere ac differre valemus: & quando alios mingentes videmus, indulgente animo, societatis ergo, ut loquimur, & vestes laxamus. Ratio formalis igitur nostri affectus in eo consistit, ut neque natura amplius, neque mens audiatur, sed quotiescumque, seu interdiu, seu nocte, guttula urinæ ex ureteribus in vesicam devolvatur, statim foras ad pudenda muliebria tendat: cum sphincter potentiam resistendi amiserit.

§. VI.

Incontinentia urinæ malum detestabile, idque non rarum est, cum a tot diversisque oriatur causis: omnium tamen frequentissima jure pronunciat ab *Experientissimo Slevogtio* a partu facili difficilique originem ducens, in laudata de hac materia dissertatione §. 29. cui speciei & nolter affectus accensetur. Adeoque nos in præsentiarum neque differentias, neque causas, alias huic inducendæ maculæ aptas, prolixè recensere, sed in eo



tantum, ut demonstremus, quomodo partus illam inferre possit, erimus occupati.

§. VII.

Causæ igitur, quemadmodum a Philosophis in proximas, seu immediatas, & mediatas dispescuntur; ita & nos læsionem sphincteris immediatæ, partum vero mediatæ titulo insigniemus. Causam proximam & immediatam quod attinet, inter quam & morbum nihil intercedit, accusavimus in definitione solutam sphincteris vesicæ unitatem, sive laxetur saltem & dilatetur, sive dilaceretur apparenter. Fibris hujus muscoli, quemadmodum ceteris omnibus, frequentissima nervorum fila sunt intertextæ, quæ in statu naturali ita comparata esse debebant, ut secundum longitudinem seu extensionem suam vias habeant liberas contiguasque, pro admittendis & ulterius propellendis spiritibus animalibus. Fibræ autem ipsæ non secundum longitudinem solum integræ requiruntur ad contractionem præstandam, sed etiam secundum latitudinem & peripheriam necessum est, ut sibi invicem incumbant, immediateque se se attingant. Hoc enim si ita fit, orificium vesicæ semper æqualiter, vi elateris, quo sphincter pollet, constringitur & clauditur, liquorque in illa latens coercetur, ut non nisi animo consentiente, vel etiam imperante, profluere, & ripas transilire possit. Quando vero contingit, ut musculus hic nimis, quam par est, dilatetur, parietes a se invicem distendantur, & distrahantur, fit, ut non solum quædam fibræ muscoli, sed etiam nonnulla nervorum fila in longitudinem extendantur, pauciores vel plures dilacerentur, quoad scilicet extensionis vehementia, aut fibrarum qualitas comparata est, atque hoc pacto contiguitatis jacturam faciant.

§. VIII.

Laxato hunc in modum sphinctere, aut plane perduto, prout nimirum pauciores saltem vel plures fibrillarum harum muscularium non minus, quam nervearum, sphincterem vesicæ constituentium, in allegata extensione dilaceratæ sunt; licet etiam exteriores ad statum naturalem redeant, & ex parte iterum sese constringant; tamen fieri nequit, quin interiores, aut ipsæ læsæ (scil. per digitum vel aliud instrumentum) aut auxilio exteriorum destitutæ, molique incumbenti non pares, non in rugas abeant; & præterea, cum spiritus animales, non interrupta via incedere adfueti, constrictionem ideo ulterius præstare non possint, subinde atomi aqueæ urinacæ per interstitia rugarum transeant, velut transudando, & ad instar gutturnii minus recte reclusi; ex atomis vero colligantur guttulæ, & extillantes diffuant ad vicina pudendorum labia & superficiem reliquam, ab illa vero inundantis urinæ acrimonia intertrigo & fastidia oriantur, cum ardore

dore & odore quoque ingrato : perspicua hæc sunt verba *Illustris Wedelii ex Prax. Clin. in Tim. L. IV. c. 32.* desumpta.

§. IX.

E causis mediatis incontinentiæ urinæ partus facilis non minus, quam difficilis, considerandus est. Campus hic se pandit amplissimus differendi de partu naturali pariter & præternaturali : sed quousque quæso arctiores dissertationibus destinata paginæ excrescerent? hæc igitur ex alio accersenda capite. Si cui absonum videatur, quod causis mediatis partum facilem annumeraverimus? respondemus : quemadmodum alias res quædam, naturalis dicta, quæ in conservando & adjuvando naturam occupatur, si inconvenienti modo adhibeatur, in uno magna producere apta est mala, quæ alteri non nocet; ita & hæc actio naturalissima in hac fœmina felicius faciliusque procedit, quam in altera. Nam hæc statim superato partu consuetos iterum subire potest labores; alteram per multos dies lecto affixam esse oportet. Si in causas inquiramus, constitutio earum naturalis culpam suscipiet. Iis enim, quibus fibræ musculorum robustiores, & elatere alacriori instructæ sunt, citius omnino firmitas pedum redit, præ aliis, quæ temperamento phlegmatico, fibris, & spiritibus seignioribus gaudent. Si itaque tales in naturale parturientium torcular deferantur, facillime accidere poterit, ut fibræ sphincteris, propter aquositatem suam, extensionem facile subeuntes, corrugationem vero respuentes, superius malum incurrant. Plerumque vero si incontinentia urinæ partum facilem excipit, culpa in obstetrices redundat, cujus deductio §o. XI. reservata est.

§. X.

An partus facilis incontinentiam urinæ producere possit, in lite esse videbatur; quod vero difficilis fœcunda illius mater existat, nemo fortasse in dubium vocabit. Causæ, quæ partum difficilem reddere aptæ natæ sunt, & ad nostrum affectum tanquam remotiores se habent, vulgo ad tria genera referuntur, sc. matrem parturientem, fœtum excludendum, & obstetricem ancillantem; ex quibus, quæ ad nostrum scopum adspirant, delibabimus. Mater in culpa est, ratione vel corporis, vel animi : corpus arguimus, si orificium uteri nimis angustum, aut ad extendendum ineptum est, aut vagina nimis arcta, qualem sæpe habent primiparæ, congressum mariti non sæpius jam expertæ. Tale etiam est in carnosiss & obesiss, quarum omnes viæ vel nimia pinguedine, vel musculis crassioribus obsessæ sunt. Deinde etiam angustum est orificium, neque extendi se facile patitur fœminarum siccarum, talium vel ratione temperiei naturalis, vel ratione ætatis : quorum spectat temperamentum melancholicum, cui præprimis obnoxia observantur in agris degentes, laboribus gravibus humidum im-

G g g g 2

pen-



pendentes. Annosiores paulo siccitate semper majori obsidentur, prout in toto corpore, ita & in utero; imo cervix uteri in his dura admodum & quasi cartilaginea nonnunquam existit, autore *Galeno de dissect. uteri c. 3.* Dum itaque tales pariunt, fortiori omnino opus habent nisu, unde fibræ partium domesticarum, & aliarum vicinarum, necessario simul mirum quantum extenduntur, ut elateres salvos servare periculo plenum sit. Animus puerperæ accusatur, si affectibus spiritus fixiores reddentibus inhæreat, aut cogitationibus aliunde circumvetur: hoc enim modo fetum in irregularem situm conjicere potest, ut deinde ingenti labore & distensione uteri aut reponendus, aut extrahendus quandoque veniat. Fetus vero peccat, quando natura vel nimis magnus, vel præter naturali appareat situ: quam in rem *Cl. Ettmull. op. P. II. p. m. 1043.* disertis verbis scribit: fit interdum in laborioso partu, ut fetus grandior, nimis distendendo vaginam uterinam, adeo distendat collum vesicæ urinariæ, vaginæ uterinæ insertum, ut puerperæ continere nequeant urinam.

§. XI

Obstettrices, dum procurant partus difficultatem, incontinentiæ urinæ, tanquam causæ remotæ, autores fiunt; imo illas ut causam proximam interdum accusandas esse edocti sumus. Quis enim ignorat, quod sæpe rusticæ non minus, quam aliæ simplicissimæ mentis fæminæ, ad hoc ingens & maximi momenti munus admitti soleant, quæ nec structuræ anatomicæ partium genitalium, nec ordinis, quem natura in hoc negotio servare solet, gnaræ, meliora quidem nescientes, damna inferunt? Neque latere puto, quanto gaudio vetulæ hæc haustulum aquæ vitæ a patre, cujus filiolum plumis ac pannis involvunt, oblatum amplectantur! Accedant tales, quod sæpissime fit, insperatæ ad feminam parturientem, sciant etiam & teneant omnia, quæ ad hunc actum requiruntur, præ temulentia tamen, quo se vertant, sæpe nescient. Itaque dum se omnia adhuc exoptate habent, situm infantis inquisitionem, *wenn sie wollen fühlen, wie das Kind stehet*, improvidos digitos non orificio uteri interno, ut decebat, sed urethræ ostio, quod instante partus tempore, ob orificium uteri à fetus mole protrusum, retro paulo cedit, inferunt, atque sic sphincterem vesicæ, ad quem usque, cum fetus non statim occurrat, penetrant, nimis distendendo laxant, aut tonum ejus plane perdunt, ut perpetuum postea urinæ elapsum concedat: observantibus id clarissimo Slevogtio nostro & B. Ettmüllero locis citatis: aut etiam fæminam statim ad labores contra nature nutum impellunt, vacillantibus genibus fultæ, operationem tremulis manibus aggrediuntur; & faciunt, ut puerperæ, viribus frustra labefactatis, justum naturæ ausum sufferre & adjuvare non possint: imo quandoque mortuum fetum aptis ineptisque instrumentis extrahere molientes, sphincterique vesicæ intrusis, tonum hujus destruunt, ut non possit non deinde

deinde talis macula excitari, quale admodum notabile exemplum habet idem *Exc. Slevogtius in Disput. laud: de Incont. Urine §. 39.* de obstetrice, quæ unco ferreo, a lampade olearia abrepto, talia præstitit.

§. XII.

Hæc itaque si accidunt, ut sc. mater non, ut decebat, se gerat; infans conditiones vitiosas obtineat; aut etiam obstetrix, sui quod est officii, non rite peragat, fetus exclusio omnino difficilis redditur. Cogitet nunc quis: angustia orificii interni matricis, quæ alias calamus scriptorium vix admittit, & vagina etiam, non raro admodum arcta, debent adeo expandi, ut licet naturalis adsit status, obstetricis digiti, & caput, totumque infantis corpus, imo & hoc interdum duplicatum, possit penetrare. Tacemus statum præter naturalem, ubi vel ob situm plane extraordinarium, vel infantem demortuum, multa, eaque laboriosissima, sive manibus, sive instrumentis, operatio requiritur. Hinc nescio, an contradicendum sit experientissimo *Hildano*, qui in laboriosiori partu, non ossa pubis solum, sed etiam ilii, ab ossæ sacro notabiliter quandoque disjungi asserit, *Cent. VI. obs. chir. 39. p. 547.* & plerumque post talem partum stillicidium urinæ, imbecillitatem lumborum, & claudicationem observari fidem facit.

§. XIII.

Hæc res si ita sit, potentia partus, quam habet in incontinentia urinæ producenda, nemini obscura esse potest. Notum quippe fecimus §. 4. connexionem & viciniam intimam vesicæ & uteri, hujusque in specie vaginæ, vi cujus urethra fibras sphincteris vesicæ per partem ejus exteriorem continuas & conspicuas, totamque longitudinem cingentes adhuc latiori ductu ad vaginæ latera & anum infigebat, vid. *Graaf. de Mulier. Organ. genit. c. 6.* Orificium vesicæ sphinctere circumdatum, tempore potissimum partus, orificio uteri interno accurate fere superponebatur, & urethra non minus, quam ipse sphincter, commissuræ ossium pubis, ceteraque vicinarum partium complicatio ossibus obviis affigebantur: insuper urethra fæminarum facilioris expansionis pronunciabatur. Jam concipiamus nobis actum partus non adeo bene procedentis. Integer obstetricis pugnus in utero degit, caput, pedes, nates, aut quicquid sit, apprehendens integram molem in macrocosmum derivare studet; parturiens retento spiritu fetum expellere nititur. Atque sic quidem protruditur orificium uteri, vesicæ autem collum, cum fibræ, quibus isti adnatum est, in latitudinem distrahantur, retrocedit, & orificio uteri imminet: quali quæso nominatæ partes, ut cedere possint, opus habent distensione? Adeoque dum orificium & vagina uteri distendantur, urethra simul & sphincter vesicæ, qui cum istis intime concrevit, periculum subit. Et, si demum distensioni huic

G g g g 3 uteri



uteri, & accumbentium partium mire complicatarum, etiam disjunctio officium accedat, vesica imprimis læsionem evitare non potest; nam fibræ sphincteris vesicæ, & cum his continuæ urethræ, istis commissuris agglutinatae, simul distrahuntur, & cum hoc modo ab utroque latere impugnentur, istarum tonus adeo perditur, ut ad contractionem ulterius præstandam omnino impotentes reddantur. Enormem ejusmodi distensionem sæpe contingere confirmant fœminæ, superato difficiliori partu, nullius membri, præsertim pedum, potentes, dum educunt: *Es sey ihnen, als wäre in ihren Leibe keine Ader mehr*, certissimo labefactorum tendinum, partiumque musculosarum femoribus robur fœnerantium, indicio.

§. X I V.

Quod enormis hæc distensio ejusmodi dilatationem verum præstare possit, declarat etiam procidentia uteri. Non vero explicabor in præsentiarum verborum liti, qua disputatur, quænam uteri pars, an orificium uteri internum, an vagina s. collum procidat? utrum sit, frequentissimum tamen est, in multis feminis post laboriosorem, aut minus apte gubernatum partus actum, talem procidentiam observari: imo honesta quædam femina, in hoc officiorum genere sæpius adhibita, me fecit certissimum, inter decem mulieres rusticanas vix unam ab hoc malo immunem reperiri, quamvis nulli Medicorum revelent. Quæ quæso alia causa, quam si hæc partes, nimis quam par erat, extendantur & urgeantur, fibræ ligamentorum aut vaginæ lædantur, ut deinde aut orificium uteri internum ipsum, aut saltem rugæ vaginæ longius promineant? Nec minimam insuper asserto nostro fœneratur lucem paralytica quasi imbecillitas ani, post partum difficilem observata, qua feces hujus, æque ac urina vesicæ, præter naturæ nutum profuunt, a laxatione & distensione nervorum non minus, quam fibrarum sphincteris, quas cum vagina uteri communicat. vid. *Rod. a Castr. Luf. Lib. IV. c. 1.*

§. X V.

Quæ ex his causis ad nostram ægram quadrent, nunc videbimus. Constat autem ex historia satis luculenter, quod sit partus difficilis. De violentia aliqua externa digito, vel alio instrumento proxime sphincteri inflicta, hic cogitare non possumus, quia hoc ipsum raro, & non nisi a stupidissima obstetrice, planeque omni tactus sensu orbata, fieri potest; deinde, quia manifestior causa subest, sc. partus difficilis trium dierum, ubi apertum os uteri ab urethræ osculo facile potuit distingui. Alia res esset, si partus facilis antecessisset, & tamen incontinentia urinæ eundem esset secuta. Potius ita processum esse credo: Dum nimirum os uteri & vagina, ab instante fetu, qui deficientibus legitimis partus doloribus penitus excludi non potuit, semper aperta servata & hinc distensa fuere: fieri non potuit, quin fibræ sphincteris vesicæ

vesicæ & urethræ, proximè accumbentes, simul compaterentur. Postquam tandem procul dubio fœtus maximo conatu protrahendus fuit, factum est, ut per distensionem hanc multiplicatam quædam fibræ sphincteris vesicæ dilaceratæ, atque vires earum in resistendo factæ sint minores. Neque impedi-
mur, si quis hanc distensionem ex causis relegare, & ab orificio uteri & vagina, in partu enormiter distentis, & nihilominus ad arcitudinem naturalem redeuntibus, ad vesicam argumentari velit, cum illas partes æque ac vesicam, post partum, per procidentiam uteri, aut vaginæ, lædi observemus, quæ læsio nihil aliud est, quam relaxatio, vel disruptio ligamentorum uteri, aut sphincteris vaginæ; & præterea hæ partes a sapientissimo Conditore præcise ad hoc tam artificiosissime sint fabricatæ, ut se admodum notabiliter expandi patiantur; ob vim tamen elasticam singularem prompte etiam sese iterum constringant, & ad pristinum situm redeant; qualis vero textura specifica sphincteri vesicæ, ob defectum finis naturalis, a benignissima alias natura denegata est.

§. XVI.

Secundus in casu nostro affectus considerandus est, excretio nempe fecum alvinarum per genitalia. Non raro in partu difficili ruptura perinæi contingit, ut loca, in quibus Venus sedilia voluptatis posuit, & per quæ tædiosa corporis quisquilæ provolvuntur, eodem circumscribantur limbo, quod post *Albert. Magn. in Secret. Mul.* dudum confirmavit *Mercurial. de morbis mulierum*. Prostat etiam inter alia exemplum in *Disp. de Peste Hamb.* §. 38. sub *Magnifici Crausii, Academia nostræ Senioris venerandi*, præsidio ventilata. Neque amplius miramur, si ruptura parietis intergerini inter vaginam & intestinum rectum, partum sequatur, ut genitalia fecibus alvinis quoque conspurcentur, qualem casum habet *Excell. Slevogtius in Disp. de Collatione partus nat. cum præ. nat.* §. 45. observationibus elegantioribus refertissima, & *Bartholin. Cent. II. histor. 63.* Nostra ægra simili malo est affecta; molestum vero hoc excretorum symptoma in partu non fuit excitatum, sed illegitimum instrumenti usum, quo incontinentiam urinæ, partus memoriam, curaverat, excepit, id quod sequenti paragrafo demonstrabitur.

§. XVII.

Scilicet, incontinentia urinæ, excitata in partu præcedente, quemadmodum molestissimum erat malum, ita misericordem vicinarum muliercularum numerum ad curam suscipiendam adegerat. Inventum quoque erat instrumentum satis aptum, sed ideo diutius non profuit, quia Medicus illud adhibere non jussit, ut verbis Medici cujusdam apud *Camerarium in Hor. Succif. utar.* Hoc volo, legitimum hæc instrumenta adhibendi modum ignorarunt. Ideoque globulus, propter perpetuam in ambulando & laborando concussionem, ad pubis ossa & vulvam descendit, sicque ab officio, quod
in



in sphinctere vesicæ comprimendo consistebat, recedens, urinæque præterlabenti expositus, materia quadam tartarea circumdatus est. Gignendis enim lapidibus hoc loco, in quo conditur globulus, vix alius est aptior, quod in ægra nostra fit manifestissimum. Nam menses ex utero pullulantes quicquid alluunt, viscositate sua investiant: unctuosa hujus loci transpiratio excrementa sua sulphureomucaginosa corpori objecto apponit, & urina particulas salino-terreas, quæ a viscosis, jam præsentibus, implicantur; subministrat, ut non possit non ingens tartari proventus inde excitari. Appositus hoc modo tartarus, qui, cum globulus filo caruit, abstergi non potuit, vellicationibus dolorificis patientem movit, ut, an globulus retrudi posset, faceret periculum; quo autem ausu nihil effectum est, quam ut ablata quadam materie tartareæ particula, inæqualitas ipsi induceretur. Prominentia hæc, ad intestinum rectum prospiciens, interstitium inter hoc & vaginam, continua attritione, fibram post fibram conterendo, perterebravit, & tertium affectum, rupturam sc. hujus interstitii, quippe morbum solitæ unitatis, produxit. Globus, aperturam hanc prompto pede secutus, cavitatem intestini implevit, & tanquam res toto genere præter naturam, eandem obstruxit, (en tibi morbum malæ conformationis) cursumque fecum impediendo, in causa fuit, ut istæ per hoc factum foramen, quippe proximiorum patentiorumque viam, ad pudenda muliebria tenderint.

§. XVIII.

Signis in investigatione affectuum opus non fuit. Ægra enim labem suam aptissimis descriperat oculis: imo cum globulus, aspero ejusmodi thorace indutus, enormes crearet dolores, mox oculosque manusque admisit. Ideoque facilis erat diagnosi sæpius adductorum affectuum. Ex anamnesticis vero signis præteritus se offert partus, inprimis respiciendo ad incontinentiam urinæ. Fluit quidem non raro vesicæ mador per tres imo plures post partum dies, & puerperis molestiam creat; exsiccat tamen sæpe, suaque sponte desinit. Quando vero difficilior paulo partus fuit, dolores & spasmi coxendicis lumborumque non remittunt, insuper tædiofa hæc aquarum microcosmi undulatio longius protrahitur, læsum graviter sphincterem, malum ad portas, & ad remedia, quæ sanitatem amant, accedendum esse sciunt. Non equidem ignoramus, inveteratissimum vulgi cras omnibus morbis inexpungendas sæpe præbere radices, ut deinde difficillimi; imo impossibiles fiant superatu; sed luan ejusmodi farinæ homines corpore culpam, & patiantur, quod ipsis tristissimum prædicamus eventum.

§. XIX.

Prognosis ægram nostram tutam omnino a morte pronunciare jubebat. Nam, quod incontinentiam urinæ attinet, sphincter vesicæ tantis actionibus

bus non præest, ut eo læso vita periclitetur: auream potius patientiæ herbam ipsi commendavimus. Longissimus enim est morbus, & consentientibus omnibus, cûratu difficillimus, imo a plerisque plane insanabilis proclamatur. Ut ut autem hæc omnia magnæ fidei autoribus largiamur, absit tamen, ut feminas, operam nostram & curam efflagitantes, absque solatio tristes dimittamus. Nihil enim est inquit *Plinius L. VIII. Ep. 4. quod non arte curaque, si non potest vinci, mitigetur, & Medici palliant cui medere non possunt.* Sæpe decipi illum, qui medicamentis roborantibus internis, epithematibus, unguentis, balneis & suffumigiis rem omnem concedere vellet, negare non licet; interim etiam si hæc non proficerent, incurabile tamen habere non possumus malum, quod relicto adhuc quodam remedio, licet palliante, potest mitigari. Hoc quanquam ut malum minus ferendum sit, fluxum in momento sistit; imo patientibus in tempore venientibus, curam plus quam palliativam, plenariamque sanitatem promittit. Obstructionem intestini recti, remoto obstaculo, apertum iri facile erat persuasum; rupturæ vero laudatæ consolidatio in ambiguo versari nobis videbatur, cum non simplex quædam fissura, sed plenaria contritio & absumptio fibrarum esset facta, & præterea locus affectus omnem emplastrorum, carnis generationi inservientium, applicationem renueret. An genitalia a scybalorum deviis tuta futura sint, initio non æque certi eramus, quod tamen ablata remora, & in legitimum locum iterum rejecto globulo, sicuti sperabamus, ita & factum esse audivimus.

§. X X.

Evolutis nunc, quæ ad naturam nostri casus fecerunt, ad curationem facientia rimanda sequuntur. Cum turpius ejiciatur, quam non admittatur hostis, ideo Medico in partu maxima est adhibenda cautio, ne miseris gravia hæc mala superveniant. Ita incontinentiæ urinæ curatio præservatoria sub se comprehendit causas omnes remotiores superius allatas, quæ partum difficilem reddebant, corrigendas. Quod itaque attinet orificium uteri internum, a quacunque causa nimis angustum relictum, aptabitur idem ad faciliorem in partu extensionem, seminibus, radicibus & herbis emollientibus, vel sub cataplasmatum, fotuum, balneorum, oleorum & unguentorum forma, paucis ante partum hebdomadis, sedulo adhibitis. Neque abs re erit, si exantlato statim partus labore laxationem aliqualem contigisse animadvertamus, puerperam natibus elevatis decumbere, & instrumentum inferius commendandum ipsi applicare, ut fibræ per id compressæ corrugentur iterum, reuariantur, & occasione tonum suum resumendi inveniant.

§. X X I.

Optanda potius est, quam expectanda, conditionum fetus propriarum emendatio; eoque minus, si plane vita sit privatus. Comprimere enim ca-

Tom. III,

H h h h

put



put, imminuere magnitudinem totius, superstitie fetu, nullo modo potest excusari, nisi aliquando praesentia omnium signorum, quae alias de vita fetus extincta haberi possunt, & adstantes omnes, atque Medicum ipsum fefellerit, ipseque hoc pacto plane inscius fetum vivum, loco mortui, instrumentis fuerit aggressus. Si forcipibus & uncis extrahendus veniat, aut membra abscindenda sint, in propinquo periculum vesicae versatur, nisi summa cautione manus ferrumque dirigantur, ut ita tota res in providam obstetricantis manum cadat. Utinam igitur omnes omnino munus hoc obstetricandi in se suscipientes, sive Medici sint, sive Chirurghi, sive denique feminae, aut docere artificium, aut ipsis persuadere possimas exemplum *Henrici a Deventer*, qui in libro suo de hac arte conscripto, cujus rubrum: *Neues Hebammen - Licht* p. m. 471. fidem facere vult certissimam, se a XII. annis, (nam anteriores ipsi ad ignorantiam pertinent) quamvis nullum medicamentum pellens, nullumque instrumentum, ad dividendum, aut extrahendum fetum, adhibuerit, nulli adstitisse feminae, cui non ex voto pariendi labor processerit, aut quae labem quandam incontinentiae urinae, aut procidentiae ani, seu uteri, reportarit.

§. X X I I.

Sin vero malum jam praesto sit, omnis curationis nostrae cardo in restituendo sphincteris vesicae tono vertitur. Tonus autem hic vel labefactatus est tantum, vel plane deperditus & abolitus, prout nempe pauciores vel plures laceratae sunt fibrae. Prius si adsit, ita dirigenda est cura, ut fibrae pauciores ruptae cum aliis adhuc integris concresecant, haecque roborentur, subsideant, & concreditum ipsis liquorem fidelius custodiant. Ad hoc obtinendum multa a variis autoribus praescribuntur medicamenta. Interne conveniunt omnia nervina, adstringentia & roborantia, quae in principio mali fortasse non absque effectu erunt. Pudenda suilla, apud *Langium*, non ultimam habent laudem. *Rodericus a Casr. Lusit: si educito infante, urina, aut alvi fex involuntarie fluant, curare jubet ut paralytin earundem partium.* Externe ungentorum formam hinc inde commendatam invenimus. Ita *Chr. Jo. Langius* axungiam ursae, cum raparum passerum decocto, reliquis fere omnibus in cassum adhibitis: profuisse meminit. Prostat etiam ungu. ad incont. ur. *Rolf. Sennertus in Prax. de Morb. Puerperar.* simile praescribit. Quod vero expectatus ab ungentis semper possit promitti effectus, non facile persuadeor: nam pingua & oleosa, corpus ipsorum constituentia, plerumque vi laxativa & emolliente praedita sunt. Licet enim herbae adstringentes ipsis aliquid virium communicent, tantae tamen vix erunt, quae fibras constringere possint, nisi levissima laxatio contigerit. Rectius igitur *Waldschm. in Cas. in Tim.* omnibus remediis balnea, naturalia & artificialia, praeferenda esse iudicat. Per naturalia intelligit thermas, sine quibus hanc incontinentiam curari non posse putat, *Prax. Cas. LVI.* Artificialia conficiuntur ex cephalicis,

cis, nervinis, roborantibus & adstring. quibus addere jubet laudatus Autor efficcantia mineralia, calcem vivam & sulphur. Cavendum vero est, ne statim post partum balnea hæc applicemus, sed expectare per unam alteramque hebdomadam prudentiæ est, ne necessaria lochiorum excretio impediatur.

§. XXIII.

Atque hæc quidem remedia robur debilitato sphincteri interdum restitunt, quæ, quando plane est dilaceratus, plerumque illuduntur; consolidationi tamen aliquid operæ dandum est, antequam desperemus. Hinc unguenta superius memorata gravioris hic futura sunt efficacix, quæ remixta cum ungu. citr. rosat. diapomph. bals. Peruv. de Copaib. gum. Elemi &c. fibras demulcent, & laceratas cum aliis concrefcere faciunt, ut fortasse felicior roborantium, post hæc adhibitorum, possit expectari effectus. Cum vero hæc restitutionem elateris perditum plerumque fallerent, confugiebant Practici olim ad specifica amuleta, quale eximia admiratione exornat *Heur. ab Heer. obs. oppido rar XIV. p. m. 194.* Est hoc pulvis bufonis, in nova olla combusti, & e collo, sacco inclusus, pendens. Duplici experientia Boylei probatum laudat *B. Ettmullerus Colleg. in Schroed. & Heerio* inpingit, quasi dixerit, pulverem illum gaudere virtute quadam anodyna, quod quidem ego in editione mea invenire non potui. Pulvis exsuccus est, omnique qualitate exhalabili, qua alias amuleta etiam gaudere debent, orbatus, ut concipere non possim, quam ob qualitatem adscriptos effectus possit præstare: verum enim manet Curtianum illud: durabile non est, cui non subest ratio. Neque experientia meliora sperare sinit: Nam experimentum illud *Oculatissimo Nostro Wedelio* minus profuisse visum est, prout confitetur *Prax. Clin. Ex ad Tim. Lib. 4. Cas. 32. Chr. Jo. Langius* itidem infelicem expertus est successum. An felicior effectus à cinere erinaceorum, murium domesticorum, gutturis galli, & ceterorum, quæ pro amuletis commendari solent, expectari possit, nemini autor ero.

§. XXIV.

Roborari & integritati suæ si sphincter restitui nequeat, de fluxu saltem inhibendo cogitandum est, ne urina, particulis suis acerbis & rodentibus, delicatiora Veneris ventila bra dolore & intertrigine afficiat. Quomodo hoc præstari possit, id plerique Practicorum ad nostra usque tempora aut plane tacuerunt, aut remedia minus efficacia commendavere. *Th. Barthol. Cent. II. Hist. 63.* ægræ suæ urinam non cogitanti stillare patitur: alii, ne absque solatio ægras dimittant, amuleta incertissimi successus appendere jubent. Et remedia, quæ ex chirurgia desumpta hinc inde commendata inveni, ita comparata sunt, ut persuasissimus sim, feminas malle morbum, quam instrumenta talia ferre, cum non ad inhibendum, sed saltem ad excipiendum

H h h h 2 fluxum



fluxum sint accommodata. Ita laudatus *Bartholinus Cent. IV. hist. 2.* alligavit pudendis puerperæ cujusdam marsupium: hoc, tam diu in plumis detineri possunt, probabunt, quam primum vero lectum relinquent, & hoc rejicient. Par ratio videtur spongiæ labiis cunni applicatæ, quæ præter expressionem crebriorem, quam exoptulat, etiam hoc habet incommodi, ut per collisionem femorum compressa, simul & semel absorptum lotium profundat, & faciat, ut circumjectis vestibis inundatis patientes labem suam prostituant. An instrumentum a *Nuckio Experim. XL.* commendatum ita aptari, & ostium ejus ita dirigi possit, ut profluentes urinæ guttulas excipiat, sedentibusque ægris officium faciat, affirmare non possum: alia res esset, si ægræ perpetuo culcitræ incumbere possent: cui etiam similem apparatus describit *Hild. Lib. de Lithotom. C. XXI. p. 739.* Et quanta cum molestia ægra machinam Henrici ab Heer tulerit, qui siphoni argenteo, urethræ immisso, lagenam appendit, inter alia exinde colligi fas est, quod consilium aliud ex Cingaro efflagitaveris.

§. XXV.

Christianus Joh. Laegius unicus est quem novi, qui instrumenti cujusdam, ad comprimendum sphincterem, & inhibendam urinam apti, meminit *Op. P. II. p. 259.* dicens: commendatur globulus cereus, ut comprimatur sphincter. *Prudentissimus vero noster Slevogtius*, qui, uti in omni morborum genere, ita imprimis in maculis feminarum delendis, illustrem se reddidit, in *disp. de incont. urinæ* omnia instrumenta, adversus uteri procidentiam usitata, id præstare consulto asserit. Horum igitur censum subeunt annuli & globuli: illos depingit *Deventer l. c. p. 232.* ex subere, ligno, auro, vel argento, rotunda vel ovali figura conficiendos; hi a *Paræo Op. Chirurg. L. XXIII. cap. 41.* sub pessorum ovatorum nomine eleganti pictura exhibentur. *Hildanus Cent. IV. obs. Chir. 61.* præter ovaes & commendat rotundos, ex subere fabricatos.

§. XXVI.

Quod uteri orificium, laxatis, quibus firmatur ligamentis, profundius, quam par est, in vaginam descendat, & oculis conspici potest. Repositionem itaque intendentes osculum longius exprorectum, medicamentis emollientibus forum, providis, blandientibusque digitis retrudunt: & cum consueta emplastra, & alia roborantia, non raro expectationem fallere soleant, laudati globuli, aut annuli, obices ponuntur, qui amplitudini vaginæ respondentes, & ad cavitatem pelvis usque appulsi, delabi uterum amplius non patiuntur. Nunc si vicinitatem uteri cum vesica consideremus, facile erit judicatu, una hic fidelia plures dealbari posse parietes; & licet procidentia non adsit, incontinentiam tamen urinæ iisdem posse reprimi. Nam globulus, spatium vaginæ exacte replens, simulque sphincteri vesicæ, ab inferiori,
quo

attingit vaginam, loco, subjectus, eundem una cum urethra comprimit, quo compresso non potest non exitus urinæ præcludi.

§. XXVII.

Annulos laudatos in prolapsu uteri præsentissimam ferre opem allegati auctores non minus, quam diaria practitorum confirmant; si tamen quis illos pro incontinentia urinæ curanda adhibeat, haud felicem semper experietur successum. Cum enim annulorum crassities non æque magna esse soleat, nec ordinarie, in circumferentia planities quædam adsit, ideo facile fieri potest, ut angusta annuli crassities minus accurate istum vaginæ uteri locum attingat, qui sphincteri vesicæ succumbit, adeoque nec cohibeat invitum urinæ profluvium. Contingit hoc fatum etiam ægræ nostræ, dum sc. D. D. Præses annulo ejusmodi ligneo, cera obducto, labem hanc in eadem corrigere sustinuit. Ideoque tutius incontinentiam urinæ sistendam globulis, quam annulis committimus.

§. XXVIII.

Globulorum præstantia commoti, eorum genuinum usum curatius nunc investigabimus. Materia eorum a diversis diversa præscribitur. Langius commendat ceram, alii suadent aureos, argenteosve; alii ex ligno vulgari, aut subere tornatos; alii ex stupa, filis cannabinis, aut linteo convolutos. Nihil autem interest, quibus sistatur fluxus, modo sine nostro potiamur. Ex laminis aureis, aut argenteis, aut etiam ferreis, sed auro tinctis, constantes, commendat mundities non minus, quam levitas, inter cudendum vero segmenta sedulo sunt cavenda. Cerei nimis graves sunt. E subere confecti, leves quidem, sed fragiles admodum observantur, ut omni jure vulgare, idque paulo solidius, præferamus lignum: tornatores enim illud tam apte lævigare, & excavare sciunt, ut notabilis molis globulus vix unciam unam pondere æquet. E stupa, & alia materia spongiosa convoluti huic præ aliis periculo expositi videntur, quod post notabiliorem gravitatem facile intumescant, & feminis molestiam creent, id quod exemplum nostræ ægræ nos docuit. Ineptæ quædam obstetrices eo delapsæ sunt, ut ejusmodi globulos e stramine compingant, eosque cera obductos applicent; siquidem hic loci pelionis cujusdam uxor eximium ejusmodi productum, ab obstetrice Dornburgensi acceptum, gerit. Miserrima hæc femina, dieque nocteque, quoties vel levius corporis motum intendit, miris doloribus exercetur, cum contrita cera calami straminei promineant, & vicinas partes pungant: Imo maritus conqueritur, quod venerem licitam, propter obversantes aculeos, non aliter, quam canis Nilum, possit degustare.

H h h h 3

§. XXIX.



§. XXXIX.

Ne globuli nostri lignei, aut alius farinæ, ob asperitatem suam partes, quibus insident, lædant, aut liquor, illos ingrediendo, magnitudinem gravitatemque augeat, glabram ipsis vestem induere solemus. Constituit hanc cera, vel simplex alba, firmior; vel aliud ceratum compositum, quale communicat *Hildanus Cent. IV. Obs. Chir. 61.* sequentis compositionis:

℞. Cerae novæ ℥iij.
Colophon.
Gum. Elem. a. ℥j.
Thereb. ℥β.
Pulv. ros. odorif.
myrtill. balauft.
Rad. consolid. maj. a. ℥j.
Mastich. olib. sa. ℥β.
M. f. c. f. q. ol. ros. ceratum.

Liquato super igne huic cerato globulus subinde immergitur, ut cera omni adhæreat parti; frige factus deinde, remotis eminentiis, a cerato relictis, spatula calente complanari & lævigari debet.

§. XXXX.

Formam quod attinet; commendabunt se rotundi non minus, quam pyriformes & ovales, modo amplitudini vaginæ accommodati, nec majores, qui aut non admittuntur, aut vi appulsi, ægre feruntur; neque minores sint, qui dum parietes vaginæ sua superficie non attingunt, sphincterem comprimere non possunt, adeoque nihil proficiunt. Hoc saltem observetur ut extremitati, quæ cunnum respicere debet, hamulus ferreus inferatur, ex quo filum cannabinum, cera obductum, propendeat, mediante quo globulus latens interdum protrahi, & apposita amurca repurgari potest.

§. XXXXI.

Modus applicandi præter cautas & providas operantis manus nihil ferè requirit, eoque magis a Medico suadendus est, cum feminæ chirurgum non admittere, sed sibi invicem plerumque talia officia præstare soleant. Adducitur & propellitur ejusmodi globulus per vaginam usque ad orificium uteri internum, ubi offendit sphincterem comprimendum. Locus, cui annulus injectus est, foras prospiciat, ut felicius procedat, si globulum velimus provocare.

§. XXXXII.



§. XXXII.

Minus vero sufficit globulos apte applicare, sed debitum quoque in eorum gestatione observandum regimen nunc recensendum est. Inficias quidem ire non possumus aliquas ab istis creari molestias; interim ex duobus malis minus est eligendum: & si modo jam dicenda rite observentur, non magna sequi possunt incommoda. Igitur ante omnia globulus singulis circiter mensuris spatii, vel longioribus quoque intervallis protrahendus est, & materia adnata abstergenda: incrustatus enim globulus, quod facile contingit, sicuti demonstravimus, magna affert detrimenta, id quod nostra ægra testari potest. Ceterum neque gressui scrupulo sunt, neque laboribus consuetis ullam injiciunt remoram. Si premat urina, depresso leviter globulo, vel dilatatis saltem femoribus, ubi sponte cedit, illam proruere sinant.

§. XXXIII.

An veneream pugnam ingredientibus globulos deponere debeant, diversæ apud autores inveniuntur sententiæ. *Celeberrimus Slevogtius* aurigæ uxorem, cujus mentionem sequente §. faciemus, sine impedimento maritum suum admisisse perhibet. Nostram ægram nullis persuasionibus adducere potuimus, ut confiteretur, an viro satisfacere potuerit nec ne? omnibus sensibus indignabatur venire in ora vulgi, usque tandem obstetricem adhibuimus, cui revelavit, vix bis in anno cum viro concubuisse; jam vero senium cupidinem penitus fugasse. At tamen, si quid sentiam, effari deberem, credibile mihi videtur rude rusticorum genus ab oestro venereo adeo confundi, ut vix ac ne vix quidem sensu percipiat, in quod impingat; aliter ita & mecum judicat pellio §o. 28. adductus. Ideoque suaderem, ut, quæ secundum velint celebrare coitum, deponant globulum, ut profundius immisso membro virili titillatio delicatior, certiorque spes procreandæ sobolis prodeat; quemadmodum etiam suadet *Scult. in auct. arm. p. 9.* & de sua ægra refert *Hild. l. c.* Victus ratione proficuum est, quantum possibile, usum nervinorum & roborantium; nimii vero potus, & aliorum, nervos laxos reddentium, abstinentiam commendare, ne, si fortasse plenaria sanitas possit obtineri, impedimento simus.

§. XXXIV.

Experientia quemadmodum medicinæ fundamenta posuit; ita & nostros globulos in urinæ incontinentia utiles esse docuit. Hæc autem asserentes nequam negamus globulos ejusmodi diu fuisse cognitos, multorum enim autorum scripta nos refutarent; sed tantum hoc affirmamus: veteres modum incontinentiam urinæ globulis talibus sistendi ignorasse. Cum autem experientia demum discamus, an remedium, ratione arteque excogitatum, dignum

num sit imitatione, de nostris illud globulis producendum est, ne vana scripsisse verba videamur; oramus vero honoratissimum lectorem, ut paucis contentus sit exemplis, nam plura in scriptis publicis non invenimus, nisi practici quaedam adhuc in sinu diariorum foveant. *Langius*, an globulum suum cereum, quem commendat, adhibuerit, non expressit. *Excellentissimus Slevoigtius* feminam incontinentiam urinæ affectam ope massæ, e filis cannabinis, ad figuram panis biscocti, compactæ, albaque cera obductæ, quam dum hæc scriberet, ultra viginti annos gessit, eo usque restituit, ut non solum sicca incesserit, sed & sacris veneris sine impedimento interesse potuerit, sicut testatur laudatissimus vir in dissertatione sæpius jam laudata de incont. ur. §. 39. Nostram tandem ægram in scenam producimus, quæ duplici jam vice, gallum Æsculapio immolavit.

§. XXXVI.

Necessarium incontinentiæ urinæ consequens est intertrigo pudendorum, imo quam urina alluit caro, putris, & grandibus obfesa verrucis solet quandoque observari *vid. Heer. l. c.* Intertrigini medentur medicamenta exsiccantia, leniter abstergentia, roborantia, & traumatica, ut pulveres e ceruff. pomphol. ros. rubr. ungu. de litharg. diapomph. item decocta ex rad. alth. ebul. hb. fanicul. millefol. hornin. matricar. fl. ros. rubr. hyperverbasf. cum cerevisia secundaria parata, quibus loca intertriginosa aliquoties de die eluenda sunt. Hujus enim indolis decoctis D. Præses aliquoties intertriginem a fluore albo ortam feliciter curavit. Putredini autem catharteticis efficacioribus, cinere tabaci, ære ustō, alumine & vitriolo ust. mercurio præcip. ungu. Ægypt. &c. contra eundem mihi videtur, quæ vero alius sunt loci.

§. XXXVII.

Ceterorum affectuum curandi methodus exponenda restat. Obstructio intestini recti, remoto globulo, statim reclusa est, prout facile judicatur, de excretionem saltem fecum alvinarum per genitalia nobis cogitandum est. Hæc, rupturam nominatam veluti symptoma secuta, non nisi illa consolidata, sisti poterit. Quid autem consilii, deligandus est locus applicationi emplastrorum ineptissimus? Nescio, quid plus a nobis possit exigi, quam ut soli naturæ, decoctis & balsamis traumaticis adjunctæ, omne negotium committamus, quæ & simile quid apud Bartholinum fideliter efficit. In nostra ægra sua sponte suspendebatur illa excretio per trium fere annorum decursum, adeo, ut consolidationem factam esse cogitarem: cum vero integro nuper malo recrudescente, simul se iterum associaret, causam hujus suspensionis & repetentis incongrui fecum effluxus, hanc fuisse conclusimus; scilicet, quamdiu instrumentum pyriforme, supra foramen

ramen istud, in vagina uteri, & intestino recto, convenienter hæsit, nec hujus canalem obstruxit, feces alvinæ per hunc in viam rectam & patentem exeretæ fuere; postquam vero laudatum instrumentum e loco superiori descendit, & per descriptum hiatum in intestini recti cavum cessit, obstruxit utique viam hanc publicam, quare necessario feces alvinæ, per intestinum rectum obstructum nullum invenientes exitum, juxta instrumentum pyriforme per hiatum istum communem in vaginam uteri ascendere, atque per istius orificium ejectæ fuere. Reposito vero iterata vice instrumento, in hunc usque diem immunis incedit rustica. Tantum est, quantum pro ingenii laxitate de hoc casu monendum duxi, superest, ut annectatur.

Processus Curationis D. D. Præsidis.

Naturalis bene vivendi cupiditas compulerat ægram, ut obstetrici cuidam labem suam revelaret. Hæc statim de remotione hujus globuli cogitans arripit obvniens cochlear, quo inverso, & reflexo manubrio, contritionem & extractionem globuli tentat. Vires autem, obstetricis non minus, quam instrumenti, extrahendæ aut comminuendæ huic moli pares non erant, ideo dolores aucti efficacius auxilium quærere jubebant, quem in finem mulierculæ hæc una cum marito D. D. Præsidem accedunt, ut opem ferat petentes. Hic audita morbi historia, ac perceptis irritis tentaminibus, loca affecta investigabat, & mox globulo viso, extractionem manu impossibilem fore autumabat: ideo ad instrumenta, quibus alias fetus mortuos extrahere solet, recurrens, forcipem extenso rostro, eoque ferrato, instructam, apprehendit, qua mediante abrasis quibusdam particulis, & contrita magna globuli parte, totam tandem molem, quam obstetrix immisso in anum digito, elevabat, & ad extractionem aptabat, injecto simul unco, multo cum labore & molestia, ob fumme terrum fœtorem, educebat. Provide autem ipsi procedendum erat, ne perinæum, quod ab insigni globuli mole maxime tensum erat, rupturam pateretur. Cum ejecto globo, & lacescitis partibus vicinis, tumor genitalium timendus esset, hiatusque ex intestino recto in vaginam consolidandus, a D. D. Præsidi præscribebantur sequentes species, sacco inclusæ, in cerevisia coquendæ & genitalibus imponendæ:

℞. Rad. torment. symph. a. ʒβ.

HB. plantag. sanic.

millefol. matricar. a. m. j.

Fl. chamom. sam. hyper. a. m. β.

Sem. carv. ʒβ. C. C. gr. m. d. in ch.

S. *Lind-und heilende species zum Sacklein.*

Fam. III.

l i i i

Decocto



Decocto vero uteri vaginam, & intestinum rectum eluenda præcipiebat. Remoto sic globulo ægra nostra, omnium dolorum immemor, sine impedimento ambulabat, & feces a natura destinata viam repetebat; sed urina largiter continuo fluebat, hinc huic remora erat injicienda. Confugiebat D. D. Præses ad annulos ligneos, eosque cera alba pulchre obductos, applicari curabat, sed effectus non respondit voto. Post hæc tornare jubebat tria instrumenta pyriformia excavata, ex ligno acerno, diversæ magnitudinis, eaque cera obducta, ac hamulo, & filo cannabino crassiori instructa, obstetrici concedebat, ut, quod amplitudini vaginæ responderet, applicaret. Minimum facile appulsum erat, sed nihil effecit; medium autem mox expectationi satisfaciebat. Atque sic ægra hilarissima vivebat, postquam ipsi supra descriptam dietam commendaveramus, siccaque tres, & quod excurrit, annos incedebat. Immundities vero rustico generi innata quasi, vel cura laborum aut potius culturæ corporis negligentia, ægræ non permiserat, ut globulum nonnunquam protraheret, & adjectas abstergeret sordes. Hinc nuper tantum malum superius recrudescibat, dolores urgebant iterum, & cum globulus noster prioris vestigia premeret, feces per vulvam, & urina involuntarie fluebant; ægra vero auxilium D. Præsidis non amplius efflagitavit, cum obstetrix, quæ præcedenti operationi adfiterat, rationem globulum provocandi, novos conficiendi, eosque applicandi accurate satis didicisset; jam vero ægrota nostra nemo, nisi præcedentium conscius, quandam adjudicabit labem.

L A U S D E O.



LXXXIX.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
SARCOMATE EPUDENDO
MULIEBRI SECTIONE SUBLATO.

Quam Præside

ABRAH. VATERO M. P.

Tuebatur

JAC. DAN. BEHRENS

TORGAVIENSIS.

Wittembergæ mense April. anno 1728.

— Iiii 2

